

De brachii inferioris ossium fractura : theses anatomicae et chirurgicae, quas Deo juvante & praeside M. Petro Sue, secundo ... / tueri conabitur Sylvanus Fossiat.

Contributors

Fossiat, Sylvain.
Sue, P. 1739-1816.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Paris] : Typis Michaelis Lambert, 1785.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qdahnzdt>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

30.
D E

BRACHII INFERIORIS
OSSIIUM FRACTURA.

T H E S E S
ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ;

QUAS DEO JUVANTE & præside M. PETRO SUE, secundo, antiquo Collegii Præposito & nunc Quæstore, antiquo Scholarum Præcticarum Anatomiae & Chirurgiae Professore, Regiæ Academiæ Chirurgiæ Consiliario & pro commercio extraneo Secretario, in generali Parisiensi Præfecturâ Chirurgo ordinario, necnon Academiarum Monspelliensis, Rothomagensis, Divionensis, Lugdunensis, Burdigalensis & Aurelianensis Socio, tueri conabitur SYLVANUS FOSSIAT, Lemovicensis, in almâ Universitate Parisiensi præclaræ Artium Facultatis Magister, & in Scholis Præcticis nuper Alumnus.

Die 24 Sabbati mensis Septembris, anno R. S. H. 1785, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam,

P A R I S I I S,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.
PRO ACTU PUBLICO,

ET

MAGISTERII LAUREA.

Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii, necnon Academiæ Typographi, viâ Cythareâ.

M. DCC. LXXXV.

ERRATA INTERIORA

OSSUM FRACURA

THESE

ANATOMIE ET CHIRURGIE

Quo die huiusmodi...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...


...

...

...

...

...



D E
BRACHII INFERIORIS
OSSIIUM FRACTURA.

T H E S E S
ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

E X A N A T O M I A.

BRACHIUM inferius duo ossa præcipuè componunt, quorum unum *cubitus* vel *ulna*, alterum *radius* dicitur.

Cubitus, ferè pyramidalis, à brachii flexurâ ad extremam manum sese extendit. Caput obtinet crassum, binis ornatum processibus, pro duobus humeri sinubus. Horum processuum externus *olecranon* seu *ancon*, internus *corona* aut *apophysis coronoïdea*. Per tuberositatem asperam atque apicem obtusum terminatur ancon : angulum cubiti constituit tuberositas.

Apex in cavitate posteriori extremitatis humeri, quandò brachium antèrùs extenditur, locatur. Corona instar rostri acuminata est. In cavitate partis inferioris ossis brachii suprà trochleam locatur, quandò cubitus flectitur.

In superiori cubiti extremitate annotantur prætèrèa duæ cavitates semilunares, sive sygmoïdeæ, una magna & altera parva. Illa, licèt pro unicâ sumatur, duplex dici potest: quippè per cujus medium excurrit pars eminentior, latera sinûs aliquatenùs separans. Cavitas hæc trochleæ, suprà quam obliquè volvitur, adversa est, ginglymumque cum illâ accuratissimum constituit. Parva cavitas sygmoïdea, lateralis & interna, caput radii secundùm partem lateralem recipit.

Cylindrica est pars cubiti inferior; speciem colli præ se fert: parvâ apophysi sive processu acuto, qui *styloïdes* dicitur, à parte illius posteriori enato, donatur.

Cubiti corpus triangulare in tres facies totidemque angulos dividitur. E tribus faciebus una angusta atque rotunda, tuberositati olecrani opposita, non nisi à tegumentis contegitur. Altera lata atque cava, tertia plana, pluribus musculis insertionem præbent. Ex tribus angulis, duo obtusi & alter acutus: insertioni ligamenti, quod interosseum dicitur, hic inservit.

Cum trochleâ ossis brachii per ginglymum angularem, cum duabus radii extremitatibus per ginglymum lateralem compositum, cum manûs ossibus per ligamenta connectitur cubitus.

Radius juxtà longitudinem suam pauxillùm incurvatur & irregulariter triangularis est. In caput, corpus & basim dividi potest. Caput admodùm breve est, in ambitu laterali quidem rotundum, sed in supremitate depressum, parvoque sinu præditum, externi ossis humeri processûs receptaculum. Dictum autem caput in latere interno excipitur à parvâ cubiti cavitate sygmoïdeâ. Imum extremum radii valdè crassum est & latum,

5

eique insculpti sunt duo sinus, unus lateralis qui recipit parvum ulnæ processum, alter in fine, quasi duplex, pro ossibus carpi recipiendis. Primo autem, quod sub pollice locatur, conjungitur, mediante parvo processu laterali. Portio media seu corpus radii paucillimum incurvatum tribus, sicut cubitus, tum faciebus tum angulis gaudet; è faciebus una rotunda, convexa, & duæ concavæ, ex angulis duo obtusi, unus acutus & scindens.

Cum humero, cubito, & ossibus carpi, nempe *naviculari*, *lunari*, & *triangulâri* connectitur radius: cum cubito in duabus extremitatibus, duplici ginglymo laterali articulatur; cum osse brachii per cavitatem verticis capitis sui, capitulo extremitatis inferioris humeri applicatam.

A radio etiam pendent motus tum pronationis, tum supinationis; primo motu supra cubiti extremitatem inferiorem volvitur radii extremitas inferior. Secundo motu naturalem situm recuperat os.

Plurimi & quidem majores muscoli ulnæ & radio inseruntur; atque etiam ligamenta, quorum præcipuum *interosseum* dicitur, & in totâ anguli interni tum cubiti tum radii longitudine originem habet.

E X C H I R U R G I A.

QUOTIES fortè frangitur brachium inferius, ossium quibus componitur vel alterum vel utrumque, & quidem nunc in medio, nunc propè extrema, rumpitur. Utrumque si fractum fuit, longè faciliùs singulum è sede suâ disturbatur; difficiliùsque proin ambo & reponuntur & consolidantur. Alterutrum autem si solum fractum est, salvo altero, tum quod fractum est difficiliùs neque adeò longè excidit, faciliiori negotio reponitur, repositumque in suo loco retinetur.

Cubiti fractura faciliùs quàm radii fractura dignoscitur. Ad cubiti rupturam assignandam sufficiunt communia fracturarum signa, nempe visus, tactus & auditus, dùm quis manum læsi brachii, nunc introrsùm, nunc extrorsùm, movet. Aure etiam propiùs admotâ, stridor quidam ruptarum partium subauditur. Os integrum ossi fracto tunc auxilium præbet. Quodcumque autem os frangatur, tunc cognoscitur, si membrum manu comprehendatur, & alterâ manu ægri palma in pronum atque supinum convertatur. Nam os, quod integrum est, sub prementibus digitis consistit & renititur, fractum iisdem cedit. Illud ligamentum quod inter ossa medium est, os fractum ad alterum adducit.

Ad reponendum radius, cujus fragmenta versùs ulnam recesserunt, intendere minister aliquis debet brachium, ipseque Chirurgus manum ægri versùs ulnam deprimere, donec depressa radii pars attollatur. Quod ubi factum fuit, brachium ipsum ambabus manuum palmis diligenter utrinque comprimere debet, ita ut compressi hâc ratione muscoli inter ulnam & radius, partes hujus comminutas & diductas in sedem suam rursùs excitent, compellantque.

Valentiùs extendi oportet membrum, si utrumque os fractum est: si verò radius solus perfractus est, membrum parùm & ita vertitur, ut manus inclinetur ad minimum digitum, ad pollicem verò intorqueatur, si cubiti adsit fractura, dùm depressa ejusdem pars in sedem pristinam resilierit. Hæc verò præcipua observatio necessaria est, ut dùm ministri extensionem perficiunt, Chirurgus manûs utriusque volâ, à parte brachii tam interiori quàm exteriori, musculos introrsùm urgeat, quo quidem modo hæc duo ossa à se invicem ad locum naturalem faciliùs compelluntur.

In continendis ossibus omnia curiosiùs, & paulò magis adstrictis fasciis ferulisque fieri oportet, si duo ossa eaque obliquè

fracta sunt. Nam ubi alterum integrum est, plùs opis in hoc, præcipuè si sit radius, quàm in fasciis ferulisque esse solet.

Ossibus repositis, si ambo frangantur, splenium spithamam longum palmamque latum, utrinque fissum, & in oxicato, vel spiritu vini tinctum, circa partem fractam, capitibus diligenter circumductis, imponitur. Eo facto, bina splenia crassa, ulnæque quoad longitudinem ferè æqualia, alterum interiùs, alterum exteriùs applicantur; suprà datis ferulis ex chartâ crassissimâ eandem ferè magnitudinem habentibus (1). Deinde fascia quædam, ulnam unam cum dimidiâ quoad longitudinem, tres digitos quoad latitudinem adæquans, unumque glomerem comprehendens, circum splenia ferulasque sic injicitur, ut binis ternisve ductibus circularibus circum locum fractum factis, sensim lineâ quâdam spirali, (gallicè *doloires*) ultrà cubitum ascendat, ubi denuò ductus quidam circulares ante fiunt, quàm fasciæ pars extrema firmetur.

Alia fascia, si necesse sit, eodem quo prima loco circum brachium fractum volvitur, factisque rursùs uno alterove ductu circulari, ductibus spiralibus paulatim versùs manum adducitur; exceptoque per quamdam velut habenam pollice, ad carpum retrahitur, ibidemque post unum alterumve ductum circularem denuò institutum fibulâ firmatur (2).

Deligatione hunc in modum absolutâ, brachium involutum mitellâ (gallicè *écharpe*) commodissimè excipitur, atque sic inflectitur, ut manus scrobiculo ferè cordis immineat.

Usurpatur pro hoc scopo mantile in habenæ sive fundæ modum complicatum, & circa collum firmatum.

(1) Nonnulli, ut *Petitus*, ferulas has omittunt, easque inutiles judicant; in amborum ossium fracturâ maximè necessariæ fiunt.

(2) Heist, *Inst. Chir.* pars III, *De fasciis & vinct. Chir.*

Hæc deligatio, si nihil urget, per octo relinquitur dies, & postea simili modo iteratur. Renovatur etiam post quindecim dies. Sed sub curationis fine quàm solertissimè providendum est ne, dum paulò diutiùs immotum continetur brachium, in suâ cum cubito articulatione indurescat synovia, ligamenta rigescant, & cubitus immobilis efficiatur; quod ut præcaveatur, haud alienum fuerit, vinctum brachium, post quindecim aut viginti dies, altero vel tertio quoque die, sed tamen circumspectè extendere, paululùmque inflectere, imò & illud subindè oleo vel aquâ calidâ fovere; sic naturalis ejus mobilitas conservatur.

Intra triginta dies brachii inferioris ossa confracta plerumque glutinantur.

Accidentibus, si quædam superveniant, diætâ, sanguinis missione, aliisque mediis cognitis succurritur.

